





Digitized by Google



68.13.D.78

QVAM SALVBRIA BALNEA *sint, cum ad sanitatem tuendam, tum ad morbos curandos, Dialogus aduersus neotericos medicos, auctore* IOANNE FRANCISCO BRANCALEONE NEAPOLITANO.





S. D. N. PAVLO. III.
PONT. OPT. MAX.

Io. Franciscus Branchaleo. S.



Remens (BEATISSIME PATER,) ad pedes tuos libellus hic uenit. quem .n. non deterrerent eruditio multiplex, acerrimumque iudicium tuum? animant simplicitas ac amor, quibus hæc tibi ut uniuersæ christianæ reipublicæ / pro nostrarum uirium tenuitate consuleremus, meditati sumus. quid enim aliud iustus sanctusque pontifex quam totius orbis salus atque fœlicitas? Audacem facit pietas: quæ summo imperio / sublimitate ingenij / doctrina rara non est minor. quæ pluris facit qui purum deuotumque animum obtulerit quam qui meditatum cecinerit carmen. aut εκατομβην aris admouerit. Eam rogatam uolumus, si aliquando sub cælo quod Diuina prouidentia tuis humeris quamuis senilibus herculeis tamen / imposuit: respirare contigerit, has nostras (ni fallor) non inutiles nugas legere ne dedignetur. & magnæ mercedis loco, siquid in illis reperies quod ad tuendam nobis uitam tuam spectet illud haurias: morbosque senectæ atque curarum filios eminus arceas. Vale. Romæ nono Kalendas septembris anno a partu Virginis. M. D. XXXV.

PERSONAE DIALOGI

Brancbaleo. Diaulus, Sobarus,
Illus. MARTINVS a Portugallia.



AVdita PAVLI. III. cum doctrina tum sanctitate, Romã uenimus, eo consilio ut uiso protinus reuerteremur Neapolim. forte fortuna Reuerendissimus ac Illustrissimus Martinus a Portugallia tunc æger erat. Eum accersiti uisimus: assistebant tres medici concertantes de ualetudine illius uiri, ac ijs quæ ad morbum pellendum spectabant. ingredientes & eo qua decet reuerentia salutato (est. n. ultra illas dignitates, Regis Lusitanorum nepos & apud Pontificem Legatus) iussi sedere, grauiter tulimus eum non nouisse sanum. maior enim indiciorum pars mutatur in ægro, quæ ad temperamenti cognitionem nos ducunt. Vtcunque ea colligo quæ firma permanent: secedo in angulum, domesticos quosdam atque familiarem medicum sciscitor, nunquid sanitatis tempore caleat ultra cõmunem gradum: caro lenis an aspe

In limine ipso temperiem uest. g. t.

Temperamenti notę.

ræ, pinguis materiæ, albus uel ruber? quibus facile qualitatibus afficeretur, quibus deniq; delectaretur: num impiger ac celer, an iners ac deses? qualis uox, & quis pulsus tenor? qualia quæue corporis excrementa? precipue tamen candide & ingenue referrent suos mores, una fuit omnium uox auream quandam in iis omnibus exprimere mediocritatem. Omnem uictus rationem percunctor: diem natalem ac horam

Dies natalis.

iisquæ seruaueram signa adiicio: corpus medium inter glabrum & hirtum, rufum pilum, harmonicam membrorum symmetriam, hilarem ac iucundam faciem, & (ut Lucianus ait) comicam, excertas uenas latioresq;, perspicax ingenium, fidelissimam memoriam, mores sanctissimos. iis recordati astantes addiderunt colorem ex albo roseoq; teperatum. comperio deniq; dominum geniture Iouem. his sic uestigatis atq; in unum redactis, ideam temperatissimi corporis, galenicam illam policleti statuam inter Lusitanos (qui principium incolunt quinti climatis) formo animo. ad hanc proxime accedere descriptam temperiem uideo, labi pauxillum ad calidam ac humidam: acci-

Signa que non mutantur.

qui modus sit cognoscende singularis complexionis.

denter tamen / & (ut Galenus ait) natura acquisita ad flegmaticam. quem enim hisce scopulis non illiderent nocturna diurnaque studia: et perpetuæ cogitationes abditarum literarum & præcipue reconditæ ac mysticæ theologiæ / cui se ab ineunte ætate emancipauit: etenim quemadmodum umbra corpus / lux solem, sic literatos uiros uentriculi imbecillitas / capitis fluores / pituita atraque bilis comitantur. proinde podagra atque calculo annis superioribus laborasse commemorabant.

Natura duplex, propria & acquisita.

Literatorum morbi.

¶ Iuxta igitur suæ craseos rationem signa imaginatus sana; ætatis & aliorum, passim ad morbi cognitionem / eiusque magnitudinis atque causarum omnium descendimus: quot antea dies febris corripuisset interrogamus / & reliqua / per ordinem responderunt nouem / hora undeuigesima: præcedentibus oscitationibus / pandiculationibus / dorsique acri punctura / nausea quadam ac uomitu flaui succi / saporis amari: paulopost calor aggreditur / uniuersum corpus occupat. ecce sitis / linguæ ariditas / uigiliæ / acuta cephalalgia, pulsus uelox ac magnus / rubrum mediocriterque tenue lotium: astringitur aluus

Signa ægra cognosci collata sanis.

Signa ægra, arguentia tertianam, nothbam ac periodicam.

intenditur calor, æstuat, hinc inde se iactat: dolent renes, oculi, genæq; rubent: calor tangenti primo occursu mordax, perseuerante manu quasi uictus cedens. hora noctis prima sudare incipit, febris decrescere, quinta sexta ue calore soluitur. tempus erat uernum, non procul ab æstate: erat. n. sol in uigesimotertio geminorum gradu, luna in. 13. Leonis, nec procul quartus lunæ aspectus. totaq; uictus ratio subtilem producere sanguinem aptissima, qui putrescens continuò in flauam bilem conuertitur: mixtamq; sanguini & pituitam quam nominant dulcem: ex quibus comburente calore, occasione data, sæpe salsum flegma sanguini admiscebatur: plerunq; spurium genus coleræ quam uitellinam aliqui nuncupant coalescebat. prudentes ac periti medici tepescente febre spiritus ptisanæ cremore recreant, ordeaceaq; aqua adhuc calentia uiscera refrigerant: mane horis antelucanis potionem (scyrupum uocant) propinant, molli clystere ducunt aluum, paneq; loto cibant. Inuadit febris serius quàm pridie irrepserat: fuitq; remissior, tertio citius irruit & acrius afflixit: uictum me

A re non naturali.

dici tenuissimum seruarunt. sequenti die (qui quartus erat) uenis turgentibus, coctionisq; signis uisis, incisa basilica sanguinem mitti iubent / scyrupos iterant. octauo ex catartico (quod receperat de more, manna / reubarbarum / triferam quam dicunt persicam, pharmacum solutiuum ex prunis / idq; quod ex rosis) aluum deijciunt. excreuitq; diuersorum humorum nonnihil: uentriculus adeo delectus est, ut attagenem aut perdicem audiens nausearet ac uomeret. calor auctus est / nec dimisit amplius: flammeum apparuit lotium: omnia symptomata intensiora. horum factus certior, obseruo illo die naturæ motum / animaduerto proritando sudori intentam esse, cutisq; obstructionem insigniter reluctari. his omnibus diligenter perpensis, ac rite memoriæ seruatis, nuntiari medicis iubeo, ut mane conueniremus. adueniunt. Antistes, ut est φιλοσοφώτατος imperat in conspectu suo disseri, non oblitus miserabilis illius inscriptionis, turba medicorum perij. erant tres illi medici natu maiores, barba cana, aspectuq; reuerendi, apud uulgum non postremæ classis, purpurati, anulati, aurum ructantes &

Vene sectio.

Inepta congeries. & perniciosa.

Damna ex insalubri medicamine

Tres medicorum formæ.

ſmaragdos.eorum mores,ut poſtea compertum habui,maxime diuerſi.Iccirco non patiens ego actorum rationem reddi,ſummam earum rerum,quæ ad officium meum magis neceſſariæ uidebantur,perſtrinxi.orationiſq; exitus fuit, potabilis aquæ temperato balneo,mane proximo abluendum eſſe,& ni rigeret, iterandum ſequenti die,camemelino oleo aut anetino ſpinam perungendam,interim paſtillos ex ſeminibus diureticis,& ſcyrupos,ſi uoluerint,propinarent.ubi finē fecimus,cœpit unus ex illis ridere,cui diaulo nomen erat,arriſit alter ſobarus,Euſebius,qui tertius erat, nec laudabat, nec dānabat,Tū Diaulus illotis manibus,perfricata fronte/priuſq; conceperit,pariens,quid hoc portenti eſt,quod in medium affers iuuenis?Quæ noua remedia,fortaſſis recordatus es piſcinæ illius,cuius meminit euangelium, quæ agitata ab angelo, qui primus injciebatur,cōualeſcebat.ſed reiectis iocis caue deinde iſthec commemores,quæ nemo laudauit unq;, quibus nemo utitur.Sobarus.turpe eſt de huiuſmodi re uerba facere,ordinemus quid debet comedere hoc mane,& ordinemus ſcyrupum, & relinquamus

Occaſio dialogi
Dulcis aquæ balneo eſſe lauandum.

& relinquamus istas philaterias scholaribus. fortassis latinissare uolumus, morbi curantur medicinis, non eloquentia. (hisce. n. emblematis tota erat distincta oratio, hisce uernabat flosculis) fortassis uolumus iterum componere artem medicinæ.

B R A N. *simplicissime & candidissime, (uenerande senex, ac probe) loquutus sum, & si præsciuissem uos tam iniquo animo hæc ferre, ne hiscere quidem fuissem ausus. putabam libere quod senseram, exprimere posse. me non reclamante excandescitis. rogo quicquid dixi boni consulatis. loquentis uoluntatem, non opinionem perpendite. Eusebius tunc, qui tertius erat, Absit, ut candorem tibi ac pietatem uitio uertam. si talis esset sententia, qualis animus, continuò me subscribere uidisses, sed cum de huiusmodi re ambigam, alterutram partem, nec damno, nec affirmo. hoc balneorum genus huius æui (quos nouerim) medici arcuere omnes. contra communem usum operari periculo sum est. nec me preterit nonnulla quò communiora, eò esse peiora, & quod sæpe melius esse, quod a paucis probatur. utcunque brancalio*

Modestus ac pius medicus.

caue, ne dum cœlum colis, terram amittas, negocium sibi facessit, qui alijs refragatur. iā scis uetus adagium. obsequium amicos, ueritas odium parit. uerum si perstas in eadem sententia, utrinq; in medium rationes adducantur & si dilutis nostris / tuæ efficaciores erunt / expeditis pedibus me in tuam sententiam currere, uidebis, herbamq; porrigere.

Disputandi formula.

ℭ CANT. uideo uos paratos ad pugnam, gaudeo, modo ne descendatis ad arma. res est seria, iocis non est opus / non scommatis, non pusillanimitate. aristotelia quiescere quietæ, mori platonica morte eum oportet, cui ueritas cordi est. absint nugæ supercilium / arrogantia, sint procul ambitio & auaritia, & siqua est alia teredo, quæ medicorum / in maximam nostrā calamitatem / rodere animos solcat. laudo Eusebij sententiam, uerum cum tanta nunc non urgeat necessitas / hora namq; aduenit capiendi cibi, placeat uobis (uiri eruditi ac mei amantissimi) huiusmodi disputationem in crastinum differre diem, tum exoriente sole aut more peripatetico deambulando / aut academico sedendo meditati, differere pulcherrime poteritis. nō

deest hic mollis & frigida gestatio pictura admirabili conspicua, & uice platani illius apud platonem, citriorum redolentium silua, quæ ab æstuantis solis iniuria adserere poterit. (habitat. n. Ghisianas ædes trans Tyberim ad fluminis ripam, quibus Romæ admirabiliores nullæ.) delectabunt & horti mira florum suauitate fragrantes, topiario opere spectabiles, aures suauissimo garritu mulcebunt aues, & nos dabimus operam, ut lingua etiam ac palatum cōqueri non possint, nec labor pro tenuitate nostra erit irritus. Hæc ipse. Nos iussa capescimus, reuertimur mane, spectamus lotium pulsus numeros scrutamur, nonnulla indagamus. hoc officio functi in coronam sedimus, mihiq; ueluti natu minori loquendi prouincia demandatur. Rogauimus tum ipsi obijcerent prius quicquid aduersus opinionem meam argumentorum possent, ne frustra tempus repetendo tereretur.

AEdes & horti admirabiles.

DIA: paucissimis me expediam, a medicorū consuetudine ne latum unguem discedere uolo. Balnea non sunt in usu, ego nolo esse author, styrupus ex radicibus mihi exhibendus uide-

Prima Dianii oratio damnans balneum.

tur, & electuarium ex seminibus communibus frigidis, & si necessum erit / post quartum decimum, soluere aluum, ex pharmaco diaprunis, rosaceo, reubarbaro, & reliquis.

qui arrogantiores sūt ijdem indoctiores.

SOBar Ego astipulor opinioni domini Diauli. ANTI. Iā uidetis Eusebi & Brancalco in uos duos omnium oculos esse conuersos, per perpetuum silentium huic controuersiæ hodie imponendum est, rogo tam arduam ac utilem quæstionem (ut uester mos est) scilicet non illotis manibus tractate, paucioribus quoad fieri potest, citra tamen obscuritatem, rem absoluite, reiectis fucis / bracteis / cincinnis disserite. scopus sit ueritatis inuentio / & salus languētis. EVSE. enitar pro uirili tibi morē gerere, si quo tñ in loco lapsus fuero, ignorātiæ ascribito non uoluntati. dixit, ac fixis terræ oculis cogitabundus aliquantisper permansit, deinde mira gestuum omnium compositione, doctus Eusebius hanc habuit orationem.

Eusebij aduersus balnea oratio.

Si amicitiæ causa ueritatis leges, quibus quotus quisque est parere in primis debet, uiolari citra notam possent / si priuatum munus publico preponendum esset, unius tui gratia

(amice Branchaleo) & ueritatis hostis eua
derem, & commune bonum ne pili quidem
facerem. uerum cum officium nostrum sit ueri
tati adesse perpetuò / intrepideq; pro ea digla
diari, omnibus deniq; posthabitis uitæ ægri pre
sto esse / & presertim huius / cui (quod procul
hinc sit) siquid sinistri accideret / ob eius maxi
mas uirtutes / aliasq; dotes corporis / atq; fortu
ne munera / deflerent reges / lugerent musæ / o
mnesq; boni argumenta obijciam quibus νεοι λουτρα balnea eliminarunt. quamuis non sim
nescius nil me tibi φιλαλήθει prestare posse
gratius / ac iucundius. Si quod ex balneo
subsidium expectaremus, aluo deiecta il
lud sequeretur. Galenus. n. tertio regiminis acu
torum hæc uerba scripta reliquit. Scias uniuer
saliter q; si balneum administratur ante corpo
ris euacuatiōem / attrahet ad loca que sunt sub
hippocondrijs materiam. & que sequuntur.
Namq; balneum quamuis calidum, crassas ma
terias (quales esse consueuerunt que illic conti
nentur) a uentriculo / intestinis / iecinoris sinu
eluere non potest, tum ob distantiam / tum ob
lentorem atq; crassitiem, ab alui uero solutione

Prima ratio.

Galenus.

non expedit, prodest igitur nunquam. nulla.n. per artem tam exquisita euacuatio fieri potest, quin uirtutis sequatur deiectio, debili uero existente uirtute balneum esse noxium, nemo ambigit.

Secunda ratio.

Porrò post euacuatiõem aut natura mouet aut non. Si mouet non eget ope medicaminum, & si egeret alijs a balneo præsidijs, siue urinã ciens, siue sudorem iuuari posset, sin minus aut propria imbecillitas in causa est, aut humoris ipsius ineptitudo. quodcunque istorum fuerit balneum fieri prohibet.

Tertia ratio. Huc accedit quod omne potestate frigidum uirtuti est inimicũ, calori.n. naturali aduersatur, cõtrariando, deijcitur, extinguitur mors sequitur. & ut multa simul argumenta conglomeremus carnis obstruit poros, cutisque, exhalare humorem non permittit. audi Galenum tertio de sanitate tuenda. Sanè cogit clauditque tum frigida, tum feruens aqua. hoc ne ipse quidem ædipus soluere posset. causam ergo morbi intus detinet, seruat, cuius & ars & natura nil aliud quærunt quam interitum. ad hoc facinoris perpetrandum complexsit & ipsa humiditas. hæc

Galenus. 6. de tuenda sanitate.

Quarta.

n. & claudit, obstruit, atque obturat, cum sit crassitiei. ueluti parens, at enimuero ueluti nō contenta hoc damno, aliud parit non minus malū. putredinem auget. omne. n. humidum si Ioanni, Mesue, Auicenne, Galeno, Aristoteli quarto meteoron, si ipsi sensui creditur, est maxime putrefactioni obnoxium. fructus. n. quo humidiores, eo facilius putrescunt. aque gutta si in uulnus ceciderit continuò in sanie m cōuertitur. aquā esse humidissimam pariter ac frigidam, quis est qui nesciat. quicquid uerò auget putredinem putrida febre languentibus pestilēs est. Nunc ad ea ueniamus incommoda ad quæ quatenus est actu calida detrudit. intendit febrem (que aliud non est quam calor) accensa uiscera magis inflammat, ipsaque bilis ignescit. & .n. frigidum quandiu est energia calidum, calfacit: aer dum aquarius annum infrigidat, frigidus est: dum cancer æstuat, calfacit & ipse quod ambit. constant hæc authore sensu. Nec desinamus galenum ad partes adducere: qui decimo terapeutices scribit. quicunque hectica febre laborāt, atque ex ijs precipue qui iam marasmode febriunt: modo ijs alia nulla febris nec ex putrescen

Quinta ratio.

Sexta ratio.

Galenus

Septima ratio.

te humore nec ex flegmone sit adiuncta, eos omnes audacter lauabis. Ergo si ex putrescente humore fuerit, lauare non expedit. Colligitur hoc necessario ipsius exceptionis natura, quã negatio perpetuo comitatur. Ad hanc sententiam alludit & illa que primo ad glauconem legitur. At qui ex multitudine laborant, nõ ita illis membra quamplurimum fricare oportet / calfacere atq; alligare: a uino uerò & cibis abstinendum / & balneis etiam si febricitauerint. Hippocrates tertio regiminis acutorum de balneo loquens secundum antiquam tralationem Quandoq; est rectius ut minuatur usus eius: & que sequuntur. Non contemnendus Auicenna / secunda primi nocumenta balnei sic colligit. Facit inquit superfluitates ad membra in quibus est debilitas leuiter descendere: & laxat corpus & impedit neruos, & resoluit calorem innatum / & comedendi desiderium deycit / & coeundi debilitat uirtutem. Tertia eiusdem subdit Hæc eius impedimẽta sunt debilitare cor si multum morati fuerint: & facere sincopen & nauseam, & humores quietos mouere & eos ad putrefactionem prepa

confirmatio.
Galenus.

Hippocrates.

Auicenna.

rar

rare / & cum eis ad membrorum nobilium re ceptacula declinare: ergo ab eis accidunt apostemata in occulto membrorum & in superficie. haec ibi. Particulatim uero loquens de balneo prima quarti. de cura nothae tertianae prohibitum est insit in ea balneum: facit enim descendere flegma indigestum / propter illud quod effunditur ad locum putredinis & permiscet humorem malum cum putrido: & resoluit subtile & facit remanere crassum. Rasis inter classicos medicos non postremae notae uir / prorsus e salubrium medicamentorum numero explodit sic scribens. dico non uidi balneum febricitantibus in aliqua dispositione esse utile: maxime tamen ipsa uitare consulo in febribus putridis quantum possibile est. Et in diuisionibus capite de tertiana praecipit / ut in cura tertianae medicus uino et balneo prorsus interdicat. Eũqꝫ sequuti sunt neoterici pene omnes: fulginas / Herculanus / Nicolus / Conciliator / Mathcus gradius / Dinus / Iacobi / Arnaldus / Sauonarola omnesqꝫ huius aeui quos norim. ij omnes in quaestionibus balnea laudant: postremo (ut conciliator & nicolus) oppositum suadent. Siquis ue-

Rasis. 16. continentis & in diuisionibus.

Diuersis temporibus eadem non prodesse.

rò usui erat tempore galeni, non iccirco idem nunc conducit: non enim (ut conciliator ait) eadem ratio corporum, non uitæ, consuetudinis, aliorumque multorum: omnium rerum uicissitudo est: eadem res uno tempore prodest, alio obest. Huc accedit, quod si renitentibus cæteris soli uellemus uti & male cederet, omnes (ut sunt ad alienam iniuriã propensi) nobis culpæ uerterent: atque iurarent nos hominem necasse. Nemo compos mentis huic se discrimini obijcere debet. Cum igitur balneum uires exhauriat sensibili caliditate, febrim uiscerumque æstum intendat, humores agitet, abscessuum causa sit, frigiditate itidem essentiali calorẽ naturalem perfundet, humiditate etiam obstruat, augeatque putredinem: cum tot tantorumque uirorum authoritate eius liqueat insalubritas, quotidianoque periculo comprobetur, cum nobis tutius iter per catharticas sit: scyrupis & catharticis utamur. Si qua ergo rationum, si qua authoritatũ, si qua est consuetudinis uis (quæ legis dubio procul uicaria est) in nostram classem uir modestissime migrato, nobisque suffragatus consule marsupio, umbratilemque istam opinionem reijcito: hi-

Conclusio.

ste interpollis plinij manes ne lacessamus, horumque peritorum senum sententiæ subscribamus. Dixi.

ANTI. putabam Eusebi precipuam in te uirtutem esse pietatem: ut nomen indicat ipsum / & experientia compertum habeo / esse maximam. nunc ambigo utra maior sit / pietas an eruditio: uideris ea iecisse fundamenta opinionis tuæ ut nullo ingenii acumine, nulla arte dilui possint. Certe brancaleo cordati hominis esse censerem suæ assentiri sententie: satius enim est honeste cedere quam infæliciter certare. Vtcunque, si adhuc aliter sentis, tuere audacter opinionem tuam: nos etsi ægroti, attentas tamen præbere aures non grauabimur.

¶ Tum nos attoniti pene atque exanimati, quo nos uerteremus nesciebamus: tamen inter illos mentis anfractus cogitare cœpimus, utrum melius esset blande assentiendo honori consulere ueritate deserta, an pro ueritate ipsa ægrotique uita & barbarissando & blacterando pugnare. Vicit pietas, cœpitque necessitas deos facere: loca in mentem reuoco e quibus mutuari ali-

Oratio.


quid p̄terum / dispono: deinde de more hæsitans, sic effutire incipio. Tanta est eloquentiæ uis, tantum ualet disserendi acumen (præsul prudentissime, uirisq; integerrimi) ut nulla ferè sit tam certa & constans mens quin facundiæ armis capi possit. non abre de orpheo & Mercurio fabulata est antiquitas / & sirenarum cantus picatis auribus metuit Vlysses: non mētitus est Cicero / scribens disputante carneade omnia fuisse ambigua. etenim dum doctus Eusebius inuehitur in balnea, dum flexanima πειθω linguam ac labra mouet, uix mihi ipsi consto: & certe ni argumenta euidentissima / primorum medicorum authoritas atq; experientia multos ab hinc annos oppositum demonstrassent, me in suam dubio procul sententiam traxisset. Succurrunt & sileni apud Platonem: quibus docemur ac admonemur in rebus humanis longe aliud unumquodq; esse q̄ frōte polliceatur. presto est & antrū illud apud eundem, in quo ligati homines uix rerum umbras prospiciebant. Latet sæpe ueritas, rationibus fides nō illico adhibenda est, ad examē prius reuocare oportet. Quod si intentis ut sole

tis auribus auscultaueritis, atq; æqua lance per-
pēderitis, spero duce ac auspice Peracleto Spi-
ritu cognoscetis, tanto orationem meam esse ue-
riorem, quanto sua politior magisq; ingeniosa.
ANT. etsi interpellamus parcas rogo: fidimus
amore erga nos tuo. olfacio iam multa & noua
& optima de balneis te dicturū: huiusmodi ma
teriam examussim intelligere opto, & consu-
lere uitæ meæ non solū inter morborum angu
stias conflictatæ, uerum etiam in tranquillo
atq; quieto portu sanitatis quiescenti. & me exo
rāte, q extra limites uagaris, uitio dabit nemo.
¶ At ego. obtemperabo lubentissime, modo hi
probi uiri ne succenseant. Annuere illi. Tunc
sermonem prosequens. priusq; ad argumenta
descendam, quum quorundam testimonio uti
opus sit, nolo inter nos conueniat Hippocratem,
Galenum, & post eos Auicennam esse irrefra
gabiles, et si quando res expostulabit ut cite-
mus Aristotelem: Galenū uero excæpto Hip
pocrate, præponi omnibus uolumus, est.n. fons
e quo absq; cōtrouersia hausere oēs, cuius sen
tētia cōcertantes arabes suas dirimunt lites: ei
aduersari aliud nō est, q̄ uniuersam artē sub


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ter e. ei tamen atque omnibus præferendam duci mus sensui concinentem rationem: non contem-nētes Paulum Aetium, Oribasium, Ruffum, Archigenem, andromacum, aliosque Græcos: ex Latinis Celsum, C. felicem, Q. scribonium, utrunque Plinium dico secundum & ualerianū, Oct. oratianum, Q. serenū, & reliquos tot Arabes, tot interpretes barbarolatinos, etiam uulgares ac plebeios, omnes tamen adducere ostētationis esset, utilitatis nullius. adde quod nec breuis ambitus nostri laconismi capere tot posset.

Igitur ut sciamus quid sit de quo disputatur, in ipso limine balneū distribuimus in id quod arte concinnatur & quod natura constat: hoc uero in id quod ex dulci aqua, ut a natura producitur, uel ex salsa, sulfurea, aluminosa, bitu-minosa, ferruginea, & id genus cæteris. Arte structum aut simplex aut compositū. simplex cuius sola energia aquæ mutata est, cōpositū quod aut plantas aliquas, floresue, aut salem, aut nitrum aut sinapi, recipit, uel in quo hædorum, iunicum, uerueecum capita bullicādo dissoluta sunt quo nonnulli ad emaciatos atque consum-



ptos instaurandos utuntur. ¶ Hoc Galeni tem poribus fornicibus quattuor distinctum erat. Primus hypocaustum siue æstuarium dicebatur; Seneca sudatorium nuncupat, ibi sola ambientis caliditate sudor excitabatur. Secundus labrum siue lauacrum, quo calida corpus lauabatur, tertio frigida, quarto madorem abstergebant. hæc ex Galeno, x. terapeutices. Rursus balneum hoc ut Galenus 3. de sanitate tuenda scribit, scinditur in feruens, temperatum, tepidum, frigidum.

¶ Nunc altius ordiendo postq̃ rem tibi gratã facere cognoscimus, in primis disputabimus q̃ utilia sint ad tuendam sanitatem, mox ad morbos curandos.

Sententia

Dicimus igitur balneum arte paratũ ex aqua potabili ad tuendam bonã ualetudinẽ esse summum præsidiũ, siue compositum siue simplex.

Euidentissimum argumentum

Illud enim saluberrimum est, quod imminentium morborum pene omnium causam adimit: huiusmodi esse balneum probabimus. intemperiei nanq; absq; materia calidæ, balneum uidebitur sensibiliter frigidum, frigidæ calidum uirtute recæpta camemeli, aneti, & consimilium,

siccæ tepidum, humidæ calidum, salubrium ad huc plantarum uim spirans. istæ enim qualitates illis prorsus contrariantur: quæ omnes in balneo (ut inferius clarius elucescet) comperiuntur. Similiter morbos declinat materiales, humores absumēs ac destruens qui causæ sunt, & probibitam transpirationem (ut aiunt) cutim reserans, tollens. Plurima morborū pars euenit, aut ab acribus mordacibus fumidis ac fuliginosis excremētis, aut a crudis crassisq; siue putridis siue non putridis: & maxime si cutis obstructa fuerit, ac proinde excrementorum exitus prohibitus. In omni enim nutricatione priusq; cibus assimiletur omni ex parte, corpori q; nutricādo uniatur, dum multiplex fit concoctio, nonnihil superfluere opus est: quod per diuersos meatus natura salutis prouida excernit per aluū, uesicā, os, nares, aures, oculos, ac cutim, quod postremū aut sudore fit, aut insensibiliter, sensibiliter tamen sordescente cute: quis enim non uidet si decem dies illotus permanserit, dum se postea lauat in malluuio turbidam ac sordidam aquam & illuuiem: eijcit natura passim seruandæ uitæ solicita quicquid super-

Quomodo excrementa generentur pulchra speculatio.

fluit sordium ac putredinis: purum enim tactū ab impuro putrescit. huiusmodi igitur excremēta, impeditaq; exhalatio causæ sunt ephemeræ, tertianarum, quotidianarum, quartanarū, cephaleæ, scotomiæ, apoplexiæ, comitialis morbi, furoris, anginæ, pleuritidis, catarrhi, calculi, podagræ, & id genus cæterorum. hinc erisipelata, œdemata, scirri, phimata, psoræ, carcinomata, herpetes, elephantiases, quid nō morborum parit disposita causa! hæc ita se habere, scio neminem uestrum fugere, qui in proprijs istorum morbrorū capitibus legistis, centies demq; uidistis, paucas a sanguine, innumeras a pituita, a bile excitari. balneum uero recludere cutim, crudos concoquere, fuliginosos acresq; excire, argumento hoc euidentissimo probatur. omne (licet substantia frigidū) quādiu est tactu calidum, calfacit, & effectus caliditatem consequentes inducit, experientia liquet hoc. ambiens nanq; aër idem subiecto est æstiuo tempore & hyberno: hoc tamen frigefacit, poros astringit, excretionem prohibet, cutim obdurat illo calfacit, aperit, exoluit. Ista cum sensus testimonio manifesta sint, non ijs

Diuersi morbi.

Quæ sensu & ratione constant, hominum authoritate confirmare non est opus.

opus esse uidetur, quæ Aristoteles, Hippocrates, Galenus, & Auicenna scribunt, quorum sententia non semel aut bis ista confirmare possem. pariter asserere debemus calfacere aquã quamdiu calet. quod si quis ceruicosus adhuc inficiari uult, is lebeti cum maxime feruet digitum intingat & neget. si calfacit, proprij calefacientium effectus sequuntur (quos Ioannes mesue in canonibus, quarto meteoron Aristoteles, quibus trium medicorum uolumina scatent) reclusio apertioue, excretio, incisio atque attenuatio, concoctio, exiccatio. Hæc omnia ad tactum usque & uisum ob Diaulum reuocare uoluimus & Sobarum, nam Eusebium eodē loco aduersus me usum esse non sum oblitus. balneum igitur calidum obstructionem reserat, quicquid fuliginosum, fumidum atque acre est excernit, quod crudū est concoquit, idemque concoctum exhaurit: auulsis ergo radicibus, quicquid inde morborum accidere poterat, ab humano corpore prohibet.

Caliditatis effectus.

Obiectio.

¶ Sed obijciet ingeniosus Eusebius, si crudos concoquit, cur Galenus in febribus humore existente crudo, interdicit balneo. Dicimus huius

modi cruditatem habere gradus. Galenus intel
ligit de maxima cruditate, quæ balnei calidi-
tate concoqui nõ potest. Dignum hoc loco spe
culatione est, acerbiores succos balneo ad matu
ritatẽ deduci posse a medico tuẽte sanitatem,
ꝙ̃ febrem curante. potest enim uti intensiore ca
liditatis gradu, qui febricitãtibus maxime con
trarius est. Hæc aliena fide non egent, sed si in
re tam clara testes exquiritis, audite in primis
Galenũ tertio de sanitate tuenda sic scribentẽ,
Si probe balneum adhibeas, ipsum quoq; apo-
teraphiæ pars est, siquidem duras densasq; par
tes emollit, excrementum putreq; siquod intus
ad cutem heret, euocat. Eodemq; uolumine. Si
mili ratione & medij temperamenti aquis esse
lauandum, uerum fateor. Ea tamen quæ antea
dixerat non omittamus. Dulcium calfactarum
aquarum si media temperie sint, uis calida &
humida est: sin tepidiores sint, humida & fri
gida: quod si iusto calidiores fient, calida qui-
dem, sed non perinde humida. & infra. Eue-
nit tamen ex accidente ut aut per halitum dige
rant humores, aut uires firment. & quæ se-
quũtur. Quarto eiusdem operis. Quoniã ergo

Ordines cruditatis esse multos.

Galenus tertio de tuenda sanitate.

duo prima sunt, quibus intentus sit oportet qui huiusmodi medebitur affectibus, crudorũ siue semicoctorum qui ante sanguinis perfectionem fuerunt percectio, et acrium ac mordacium qui secundi sunt & sanguine posteriores eductio, abstinere eos conuenit ab omni ualido motu, blande uero unctos atq; oleo perfrictos perq; suaui lauare balneo, inde in ocio abstinentiaq; habere atq; etiam somno si fieri potest: minime ignorantibus nihil esse, quod æquè concoquat ea quæ concoqui possunt, & malos succos per halitum digerat, sicut somnus post balneum. cũ igitur primo die experti an facile finita lassitudo sit, similiter grauatũ hominẽ cernimus, tum mittendus in balneũ secundo etiã die estiũ qui ete abstinentiaq; habendus. æquè uero & si iterum & tertio oportere uideris, itidem ieiunum lauabis, quietem ac somnum ipsis lauationibus interponens. ¶ Audire etiam ne pigeat, quid de Primigene mitelenæo quinto eiusdem libro scriptum reliquerit. Cum de Primigene audirem nisi lauaret omnino fabricitare, collegi ratione cum fumida excrementa gignere, quæ transpiratu emitti postularent. cæterũ

cũ densior cutis esset quã ut ea transmitti õia sinerit, collecta sub cute calorẽ excitare. Itaq; balneũ hmõdi naturis utilissimũ esse, nõ ob id solũ ꝙ fumidum euocet, sed etiã ꝙ humectet idq; dulci humore. Et inferius. Quin etiã alios quosdam uidimus quibus mordax calor erat similiter ut huic/non tamen una intermissione balnei febricitabant, propterea ꝙ per sudorem excrementa ijs uacuabãtur. (post subdit.) Itaq; etiã alteri cuidam, cui æquè ac illi mordax calor erat, tametsi balneum uno die intermittebat, contigit non febricitare, propterea ꝙ nec studijs deditus erat. hæc Galenus. ꝙ alta uoce/ ꝙ sonora in sanitate seruanda balneum celebrat: & præsertim eorum, qui interdiu noctuq; sese studijs macerant. Erat enim Primigenes, ut ibi Galenus ipse testatur, nemini peripateticorum sui temporis secundus. memini etiam tertio de sanitate tuenda legisse hæc uerba. Nã quoniam a uigilijs & tristitia magis graciles magisq; aridi/ac minus dicto audientes planè cernuntur, siccius existimandum ijs corpus esse redditum, eiusmodi affectus partim molli frictione cum multo oleo, partim temperato bal-

Quàm utile sit balneũ literatis uiris.

Gracilitas & siccitas balneo curatur.

neo sanatur &c. Cresceret in immensum oratio si omnia loca recensere uellem, quibus q̄ salutaria sint seruandæ incolumitati affirmauit. ea tantum adducamus, quæ quasi anacephaleosim faciens decimo terapeutices expressit. Si quis balneū ingressus non inhorruit / sed remissa est illi laxataq; cutis, huic sanè necessario prædicta succedent, excrementorum uacuatio, æqualis per omne corpus calor, exiguorum meatuum rarefactio, densatorum fusio, & reliqua. Inferius hæc. itaq; ex omnibus quæ de balneis retulimus, una summa colligitur, q̄ uacuatur quidem quicquid in corpore uel fuliginosum uel fumidum fuit. consistunt uero in naturali symmetria tum caro, tum ipsa cutis, solidarum partium ariditas corrigitur, & calor non modo is qui ex lauacro accessit / uerum etiam qui prius fuit ex frigidæ usu sūmouetur. Eiusdem libri. xiij. uolumine inquit. Plethora hoc est plenitudo tum sanguinis missione tum frequenti balneo curatur. ei succinit interpres Auicenna secunda primi scribens. Iuuamenta balnei sunt somnum facere / aperire / abradere / resoluere digerere, & nutrimentum ad

Gal. x. terap.

Ex temperato balneo que succedāt.

Epilogus effectuū quos balneū īducit.

xiij. tera.

Auicenna.

cutis superficiem attrahere. (& alio capite.) est etiam cum balneum resolutione calefacit, & cum inuenit nutrimentum quod non fuit digestum, aut inuenit humorem frigidum qui non fuit maturatus, illum digerit, & hunc maturat. (& alibi) qui sanitatem uult conseruare, balneum debet ingredi postq̃ concoctum est quod est in uentriculo & hepate. Hippocrates. 2. de ratione uictus, scribit. dulcis aqua madefacit ac refrigerat, corpus enim humidum facit. & inde. calida balnea ieiunum emaciant ac refrigerant, nam calorem de corpore & humiditatem trahunt, caro autem humido uacua corpus refrigerat, saturum uerò calefaciunt & madefaciunt, & quæ superant in maiorem cumulum diffundunt. contra frigida uacuum corpus calefaciunt, & aliquatenus frigefaciunt, saturum uerò siccant, quodq; est frigidum siccitate complent. non lauari uerò nec ungi humido consumpto siccat. Hæc sunt noua illa remedia, quæ supra mille & quadringentos, immò duo millia ab hinc annos in maxima celebritate & usu frequentissimo fuerunt. Sed ijs inauditis, nonne solo hoc argumento moueri debet,

Hipocrates.
Balneorum effectus.

Non lauari quid sequatur.

Antonini thermæ.

qui Romæ degunt! cotidie uident Antonini Cæsaris aliorumq; thermas, perinde ac unum ex septem orbis spectaculis, tanto sumptu, tanto labore ædificatas, uectis ab ultimis penè orbis regionibus immensis columnis, ut adhuc montes & quibus erutæ fuerunt, de romana potentia conqueri uideantur / & mare gemere, q tam graue ipsum presserit onus. Num arbitrandum, ob delitias ac uoluptates, frugi, sapientissimumq; imperatorem, cuius tempore Galenus ipse Romæ florebat, tantum pecuniæ erogasse, tantum studij ac laboris impendisse. quē promptissimum ad curā corporis. 6. de sani. tuenda Gal. testatur his uerbis. Antoninus. n. imperatorum, quos ipsi uidimus, promptissimus ad curam corporis uenit. Et si hæc coniectura nõ mouet, moueat hæc altera, q ipse, ipse inq Galenus cotidie lauabatur: ut Pliniū, ac Cæsares / homericos proceres / callimachi pallada / innumerabilesq; illustres ac magnos uiros taceam φιλολουτρου, qui ad centesimum usq; annum peruenerunt. hæc insuper ibidem leguntur. Ergo quod ipse facere consueui diebus ijs quibus uel propter infirmos uisitandos / uel

Antoninum augustum sanitatis studiosum fuisse.

Galenus ipse quotidie se lauabat.

ciuilia

ciuilia negocia, putaui me serius ad balneum accessurum, dicere non grauabor. & .x. terapeutices. Quippe simile quidam nobis accidere uidetur, cum in frigidum soliu post balneum ingredimur, et quod ferro accidit cum tingitur. et reliqua. At memoratu dignum est quod subdit: Atque huius rei causa ad imbecilla corpora inuenta sunt balnea, quae ea praecalfaciant, atque ad frigidum solium praeparent. non dissimile quidam faciunt, qui sine balneo frigida utuntur, cum scilicet se ab exercitatione in eam saltu demittunt: siquidem cuiusmodi nobis est balneum, eiusmodi est illis exercitatio, et quae sequuntur. Nemo igitur ambigat ad seruandam sanitatem balneum docta adhibitum manu saluberrimum esse praesidium. Nec minor eius est uis ad morbos curandos, tum eos qui membratim affligunt, tum eos qui uniuerso corpori noxam inferunt. Galenus in Cephalalgiis confugit ad balneum.

Balnea ad imbecill a corpo esse inuenta.

Exercitatio balnei uicaria.

Galenus.

Hippocrates tertio regiminis acutorum, balneo lateris dolorem sedat, peripleumonicos curat, quod screatu educendum est maturat, facilem hanelitum reddit, & sedat poenam, lenit

Hippocrates.

Diuersorum morborum cura per balnea.

tu ictu ras, cutim humectat, lotium cit, capitis grauedinem adimit, & nares emollit. Hæc omnia enarrans Galenus confirmat ac probat. idemq; Auicenna. Io. mesue ad fluxum uentris, balneum ad cælum efferũt. omnes in ephemeris febribus commune præsidium balneum esse conueniunt: scatet balneis totus terapeutices octauus liber. mementote illic q̃ honeste duos illos medicos solam inediam præcipiẽtes delaserit, ipse bis in die ægrotum lauans. Recordemur q̃ acriter decimo uolumine Philippum, & quicunq; (pace uestra dixerim) uolu erint esse Philippo similes, balnea damnantem increpet: uidetur (inquit) Philippus ignorare q̃ salubris res balneum sit, & quæ sequũtur. Hecticas uero febres nemo est tam barbare ac praue institutus ex ijs qui aliquid literarum monumentis mandarunt, quin balneis curet. Vnde ergo irrepsit iste ueternus, ne furorem dixerim, medicorum cerebro, ut balnea ab ægrorum domibus prorsus expulerint, nec uti aliquo pacto uelint? hoc dicere non erubescam aliud non esse in causa, ut tã paucæ hac tempestate hecticæ curentur, q̃ balneorum negle-

ctum. Solis enim lacte & testudinis carne, quae ambo calida sunt, extinguere febrem contendunt. etenim citra authoritatem quid res[?] debimus, rebus & naturae sic argumentantibus. ephemera & hectica simplices calores sunt, frigida igitur perpetuo remediũ erit, si uerum est ꝙ omnis cura fiat per contrarium. ait. n. Galenus. xi. terapeutices. Quippe ipsius frigida pota perpetuo est remedium. & decimo. Ac siquidem omnia curiose administrabuntur, tum quo ad balneũ, tum quod nutrimenta spectat, utiq; sanandi eum quem marasmus consumit, spes est. & octauo ex Hippocrate, febris omnis praeter naturam est, ideoq; uictus ratio nẽ humidam frigidamq; exigit. Si qñ igitur uariatur, non ratione febris illud fit, sed causae. sed de his hactenus. Ad putridas nunc febres descendamus. & ne inanibus fabellis uos detineã, de balneo in hmõi morbis sic sentimus.

Prima sententia.

Afflictis febre putrida balnea temperata ex aqua dulci arte adhibita prosunt. sigillatim uero discurrendo dicimus.

Secunda.

In exquisitis tertianis (etsi raro accidunt) balneo uti uel inter initia expedit.

Tertia. In nothis impurisque, non admodũ turgente corpore, simulac concoctionis notæ apparuerint.

Quarta. Si maxima plethora fuerit deiecta aluo, In iis tamen omnibus uirtutis, & eorũ quæ uirtuti ancillantur, assensum postulo, ipsarumque insuper rerum, quas nõ naturales uocant, ex his infero eos, qui solis scirupis et catharticis has febres curare uolunt, exorbitare nimium, atque abuti arte.

Allucinari medicorum uulgus ac plebem, qui solis potionibus omnes putridas curant.

Istarum primam dilucidam facimus hoc modo. De febre putrida in communi & qua putrida est. xi. terapeutices Galenus accuratissime disseruit, testis est ipse author in principio libri, sic scribens. Febrium quas putrescens accendit humor, primæ & cætera. Nunc unico contentus sermo hoc epicherema. Illud remedium in putridis febribus saluberrimum est, quod febrilem calorem extinguit, & causam multifariam contrariando adimit, huiusmodi balneum est, igitur saluberrimum. prima antecedentis pars apud eos qui oculis non carent & manibus, probatione non æget. uerum pro his qui solo utuntur auditu, citemus Galenum illicita nos docentem. Quisquis propositam sanaturus est febrem, hic

Galenus. — *Euidentissimũ argumentum* — *Galenus.*

simul causam eius adimat oportet, & calorem qui ab ea excitatus est refrigeret. haec ibi. Sed obsecro uos per christianam pietatem, deposito omni affectu, attentis auribus accipite, quae .x. eiusdem absolutissimi operis scripsit. Haec igitur causa est, cur uulgo medicorũ ignotum sit, & quod febrium omnium, quà febres sunt, proprium remedium refrigeratio sit, siue ea talis actu sit, siue potestate. & quod alia multa ex accidenti febrem refrigeranda, sunt remedia, de quibus & dictum nonnihil in praecedentibus est, & in sequentibus dicetur. Quaedam namque complicatam quodammodo duplicemque facultatem habent, ita ut & prima ratione (seu mauis per se) proficiant & ex accidente, quod genus balneum est. liquet igitur febrem, quà ratione febris est, balneo curari. ergo & materia exquisitae tertianae, immò caetera quatenus talis, eodem medicamine abolebitur. est enim febri consimilium qualitatum ac naturae, at similiũ cura similis est. Obijcies, materiam excernendam esse, quod febri non contingit. respondemus temperata calidítate balnei (ut superius demonstratum est) aptis-

Balneũ prodest per se & accidenter

Obiectio.

Puram bilem balneo excerni posse

me & citra impendiũ euacuari. nullus enim humor facilius percutim expurgitur ꝙ bilis. ranꝙ humorum omnium tenuissimum est, suapteꝙ natura a centro ad circumferentiam expanditur, igni in microcosmo similis. Quocirca ad educendam bilem conuenientissima regio est cutis: argumento sunt naturæ motus cum particulares, tum communes. uidere licet tertianarũ paroxismos semper fermè sudore terminari. ait Auicenna a galenicis thesauris mutuatus. cum uideris paroxismum incipere cum rigore, & terminari cum sudore, scito esse tertianam communem idest crisim ipsam frequentius fieri per sudorem ꝙ per quoduis aliud euacuationis genus. nec in uerè exquisitis / puris ac legitimis tertianis humoris concoctio expectanda est, ut in alijs. crassities enim & tenacitas humorum / qualitates illæ sunt / quæ impediunt quominus per cutaneos meatus excerni possint. concoctio uero bilem crassam reddit ac lentam, ergo ad huiusmodi excretionem magis ineptam. porrò superius Galenus docuit balneo quicquid aere / fumidum / fuliginosum expirare, huiusmodi bilis ipsa est. quid plura? an

Prima ratio. argumento duplici probata.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

In exquisitis tertianis inter initia abluere confert.
Primus argumentum

Galenus.
Secundum argumentum.

dimus/uidemus/tangimus quanto quippiam acutius, quanto tenuius est, tanto exire per angustos meatus facilius. Vnde glauconem suum priori libro sic alloquitur. Balnea uero ex aqua potabili prosunt, tum quia aliquid bilis educunt/tum quia aliquid bilis educunt/tum quia qualitate sua plurimum iuuant: nam huiusmodi balnea humectant ac potentia refrigerant. & subdit. Atqui balneis admodum delectantur, si bis in die laueris non deliqueris. Iuxta nulla de concoctione mentio fit. postea sequitur. Si uero concoctionis signa apparuerint, si sæpius laueris, non errabis. ergo superius intelligit sine concoctione. Confirmant quæ dicit in cura nothæ proximo capite, scilicet. neque statim circa initia balneare expedit, sed cum primum coctionis signa apparuerint: perinde ac diceret. non est utile uelut in exquisita, in hac, corpus cum febris incipit, abluere. certe aliam ob causam dicere Galenus ista non potest, nisi ut quo interstitio nothæ ab exquisitæ cura discrepet doceat. Ecquænam alia differentia esse potest quam hæc. formo igitur hoc argumentum. aliquo tempore balneum conuenit in legitima,

Tertium.

Gale. quartum.

Idem

Enarratio uerborum Galeni.

quo nocet in notha, si enim eodem tempore tũc utriusq; materia esset pariter disposita, proinde eiusdem qualitatis, in spuria uero post signa concoctionis utile est, in exquisitio ergo & post tales notas, & antea. omnis huiusmodi ratio temporis ab humoris ipsius aptitudine sumitur, quæ a crassitie / tenuitate / tenacitate atq; fluxibilitate proficiscitur. habet tamẽ quemadmodum & aliæ res, pura tertiana suos gradus, ut una pura / alia purior / alia purissima nominari possit. ultima inuentu rarissima est, de qua nos loquimur, & si quando accidit, solius potu frigidæ & dulcis aquæ balneo curatur. Auicenna uero cum prima quarti, capite de cura tertianæ puræ præcipit, ut non nisi post concoctionem lauemus, de pura loquitur, tum quia frequentior, tum quia minus hoc modo errabimus. Ego quidem, si quid duodecim annis quibus artem exercui medicam, omni adhibita diligentia obseruare potui / uix quattuor puriores tertianas offendi, tãtũ abest ut purissimas. Sed ad medicorum Homerum reuertamur. xi. de morbis curandis. Itaq; tum maxime eos (id est putrida febrientes) cum fi-

du cia

Tertianarum distinctio per gradus.

Solutio tacitæ obiectionis.

ducia, uel in balneo lauamus, uel ijs quæ habitum rarefaciunt medicamentis utimur, uel aquam frigidam uel uinum ad bibendum damus, cum notas humoris concoctionis cernimus. & infra, Si mediocris est febris, & uires non ualidæ, sed cum notis concoctionis, his qui ita se habent, balneum prodest (inferius) Quare in cura istarum febrium quoad licet agendum, ut quæ minus calfaciat, materia deligatur, aut si qua inueniri potest, quæ non calfaciat, (quemadmodum in hoc casu balneum) utique ea est petenda. Hisce subdit hæc. Si horror læto non acciderit, nullumque primæ notæ uiscus sit imbecillum, quodue multitudo crudi humoris in primis uenis non contineatur, ex balneis duo hæc ægro compendia accedent, & quod redundantiæ humorum aliquid uacuabitur, & quod multum febrilis caloris transpirabit. Paucisque interiectis. Quippe balneum totum corpus euacuat, tum quod fumidum est ac fuliginosum digerit. Vlterius, In progressu tamen morbi, (et loquitur de quacunque putrida) quo tempore absumpta iam superuacua sunt, & tum cruda tum putrescentia concocta, et cataplasmatis rela

Galenus.

Galenus alijs remedijs balneum præfert.

Galenus.

Balneum quæ prohibeant.

Balnei commoda.

xantibus & balneis intrepide utare. Quid de his uobis uidetur grauissimi patres? aut a Galeno deficere opus est, aut confiteri in febre putrida, certis temporibus ac dispositionibus nihil esse eque salubre ac balneum. sed iam satis superque hominum authoritatibus immorati sumus suauissimo speculationis nectare nunc reficiamus animum. Si quid obstaret quominus balneum conferret in putridis febribus, esset humoris ineptitudo, at concocta materia non est inepta, impedit ergo nihil. concoctio enim cum putredinem inhibet. tum eas qualitates remouet quæ exitui impedimento sunt, nanque quod fumidum est ac tenue crassum reddit, quod crassum ac lentum, liquat dissecatque. proindeque disponit ad euacuationem. Nec opus esse opinor omnimoda concoctione, (ut probus quidam senex in cura Cardinalis Barensis contra nos argumentabatur,) Quemadmodum enim nec natura, nec medici errant quando semicoctam materiam passim atque suauiter educunt, illa crisim in plures uices distributam faciens, hic materiam minuentes sic nec balneo delinquemus si ad cutem tendentem exceperimus. obiter hoc

In nothis & in qualibet putrida concocta materia prodesse balneum.

Ratio.
Concoctio quid faciat.

Non necessum esse materiam esse perfecte concoctam

Primum argumentum.

dicere audeo, uix semel uidisse catharticum tribui indicijs apparentibus perfectæ concoctionis. Porrò (ut repuerascere bono omine incipiamus,) Galeni propositio indefinita est. quæ æquiualet particulari. Cum enim ait signis concoctionis apparentibus. nec omnibus signis dicit, nec perfectæ cococtionis. porrò eo tempore educere eam portionem potest, quæ prima est, a qua febris ipsa dependet, bilem dico ad hæc accedit, quod cum uim habeat concoquendi / poterit semicoctum humorem concoquere, si hunc enim non potest, nec aliquem alium, cum ergo mediocriter coctũ digerat, & digestũ euacuet, quid dici salubrius aut existimari potest? Isti duo termini circa materiã putridæ attingẽdi sunt. cõcoctio & euacuatio. Nec nos adeo rudes sumus, ut arbitremur quãcunque cruditatem posse cõcoquere, atque humorũ quamlibet quãtitatẽ educere: scimus ex philosophiæ sacrarijs, effectũ nõ sequi nisi ex iusta proportione uirium causarũ suarũ. Romanã arcẽ pugnis aut lapidibus iactis, dirui nõ posse, quis est qui nesciat? nutantẽ uero ac labantem bobardarum impetu uiolentiaque non admodum difficile. sic

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Balneũ concoquit semi crudum.

Solutio tacitæ obiectionis.

Theorema.

mediocriter dispositum humorem, nec nimium, balneo ad promptitudinẽ deducere, atq; euacuare ratiõi cõsentaneũ. Nos morbi gallici materiã incisamac dissolutã uirtute balnei uidimus: quæ adeo rebellis, pertinax atq; indomita est ut perpetuòs morbos, saxeaq; tubercula (ut in crea sæpius apparet,) parere consueuerit. & si non tam forte, id eligam ad tertianã, quod proportione respondeat, adde quod si eadem decoxero, quibus illi suos conficiunt scirupos, digeram extrinsecus, ut illi faciunt intrinsecus. & cum materia post cutim latet, longe aptius & elegantius. caliditateq; intensa, & uim digerendi augebo. effectus enim causæ respondet suæ. Balneum igitur ex aqua potabili quo decet ingenio, & coniectura adhibitum, quod paratũ est materiæ excernet, quod semicoctum concoquet. Eadem qualitate cutim recludet, ut preconio authorũ nostrorum superius constitit. Aridam calidamq; intemperiẽ, siue primorũ uiscerum, siue totius corporis, ad suam harmoniam reuocabit genuinis natiuisq; qualitatibus. causas ergo omnes putridæ febris detruncat. tres enim esse nõ oscitãter è galenico penu deprom

Balneo materiam morbi gallici a:geri & euacuari.

Recludit poros.

Tres causæ putridarum febrium.

pßimus, scilicet, omissis procatarticis, impeditã transpirationẽ, intẽperiẽ, & putridum humorem. horum unicuiq; contrariari balneum abunde probatum arbitror. ex quibus omnibus propositum a nobis epicherema, immo epistemonicum sillogismum, acri iudicio, uiris / scilicet balneum febrilem calorem extinguere / & causas rescindere / si: (ut opinor constat /) ut siquis negaret, parmularius esset (quemadmodum apud fabium orator ille.) rationi deniq; ac sensui repugnaret. Si uerò plethora (uti diximus) nimia fuerit, pharmaco prius purgãdum censemus. non enim a balneo ultra uires expetere debemus. Quoquomodo se habeat mollem clisterem semper præponendum affirmamus quando alui excrementa / & que proxima illis, & loco & crassitie ad excretionem balneo faciendam inepta sunt. Cum igitur in hac tertiana febre non modo concoctionis apparuerint signa. sed cum clistere, tum pharmaco deiecta aluus sit. eductisq; uentriculo et intestinis, proximioribusq; uisceribus, excrementis atq; humoribus, secundum cutim conditæ materie remanserint, naturaq; expungere Conclusio.

illas sudore gestiat, transpiratio impedita sit. refrigeratio maxime necessaria/tum ob febrē tum ob intemperiem, ætas florens sit, tempus anni calidum. nullum ex proceribus uiscerum adeo imbecillum ut fieri hoc prohibeat balneum præ ceteris remedijs præsentissimam feret opem. pharmacum uerò maxime noxium ac perniciosum. Quid.n. est quod uentriculo/iecinori/capiti/cordi magis officiat q̃ huiusmodi medicine, si mera toxica/medicamina nuncupari possunt. iam in adagium uenit, medicinam qualibet naturam sapere ueneni. prædicant hoc ueteres, recentiores non discrepant, sensus & ratio confirmant. humores nature per sudorem excernenti a circunferentia reuocans ad centrum impedimento est, calidam intemperiem auget. Dumq; e longinquis corporis partibus attrahit, nonnihil bonorum qui in propinquioribus sunt educat oportet. porrò si humores diuersi sunt, si loca denicq; diuersa, qui fieri potest, ut idem euacuationis genus semper conueniēs sit. Nec pharmaca dānamus (alioqui utilissima) sed hanc perniciosam frequentiam, tumultuarium (paceq; omnium dixerim) abusum medi-

Pharmacorum detestatio.

caminum. Video passim reiectis alijs / siue per incuriam omissis ad ea omnes, quos norim, medicos conuersos. Memini in ægrotum incidisse qui uiginti dierũ spatio quinq; medicorũ impulsu, catartica uorauerat. quod ferreum, quod adamantinum corpus tante non succumbere uiolentie potuisset. Certe uereor, & doleo q̃ maxime, ne plures necauerint pharmaca q̃ gula & gladius. & citra controuersiam / existimo / inter alias huius temporis calamitates, hanc esse uel in primis cõnumerandam. O abusum maximum, o communem perniciem / execrabilem pestem, longe ipsis febribus peiorem. testis est ipse humanarũ mentium conditor & afflator OPT. MAX. DEVS non oblatrandi non lancinandi causa inuehi in Ψευδοιατρους: sed orationem meam a candore atq; pietate totam proficisci. Quis non stomacaretur uidere quosdam sic se ad catartica contulisse / dedidisse, ut nec pontus & bithinia uniuersusq; oriens radicis barbare / cassie / & scamonei sufficientem subministrare quantitatem possint. Ex canduit animus, dũ ista recordor, nec intra limites me continere possum, ad seria

reuertor de his alias fusius dicturus.

Igitur si humanæ uitæ hostis pharmacum ē, si uenenum, usq; adeo ut paululum modum excedens nocet, aut ad suprema pericula deducat. Aqua uero corporibus nostris familiarissima, amicissima ut uel terminos egrediens, nocumentum uix sentiamus. insuetum illud hæc inconsuctis etiam consueta magis, illud ingreditur, hæc forinsecus alterat, illud simulac haustum est corrigi non potest, hæc si obesset, quod ex rigore cognoscitur, citra impendium amouetur. qualitas illius, excepto ueneno, intemperiem auget, febrem intendit, hæc uerò & temperat, & febrem frigiditate sua extinguit. illud naturam mox a sudore, sanitate potituram, impedit, hæc sic proficiscentem adiuuat calfacta. Galenus semel aut bis illud in febribus nominat atq; laudat, hac uniuersa methodus, atq; curandi ars scatent. sed quid opus est eam laudare, cuius beneficium nemo nō sentit. que necessitate, si manum subtraheret, laudari cogeret. hæc nos pia parens uagientes excipit, sordentes abluit, fetorem remouet, uix nati ea assuescimus, mane ac uespere bibimus,

Aquæ laus & comparatio cum balneo.

cam es

carnes elixamus/fercula paramus. quid plura, si aqua humanum corpus magna ex parte constat. Thales milesius/unus ex septem illis greciæ sapientibus/aquam principium rerum naturalium esse dixit. non ab re plerique aquam nominari putauerunt/quod ea uiuamus. quin cura suã opem ne unũ quidem diẽ uiuere possimus. Quid igitur familiarius. quod a teneris unguiculis nos comitatur/nascentes non debilitat timemus adulti. Galenus propter imbecilla corpora balnea inuenta scribit, & nos quauis debilitate territi balnea explodimus. Ipse marasmo de hectica laborantes uelut ultimo præsidio, balneis curat, & nos decimo tertianæ die, uix semel deiecta aluo, in corpore cuius tota debilitas a grauamine dependet, amicam uim balnei metuimus, cur ista debilitas nõ deterret potius ab exhibendo pharmaco quod longe maius requirit uirtutis robur. Cur etiam cruditas, cũ non minus requiratur ad soluendam aluum cõcoctio. manifesta hæc sunt & ante oculos posita aut negare Galenũ Græcosque oẽs, ipsumque Aristotelem qui in metaphisicis aliisque locis explicans quot modis sanum dicatur, balneum

Thales milesius.

Homines, assuetos lõge plus aquæ quàm pharmacis.

Galenus.

semper ponit, ut missa faciam quæ in encicli-
clis leguntur quæstionibus. Rationem denique ac sensum, aut nostra confirmari oportet. Cæterũ obiectiones eruditissimi Eusebij (bona ipsius pace) confutandæ diluendæque sunt, & si ex superioribus, ad fontes eos digitum intenderimus, è quibus omnis huiusmodi ratio hauriri potest.

Oppositorum locorum dilutio.

Nec adeo lippus sum, quin uiderim alienã personam sumpsisse eusebium, dissimulasse quis nescit Glaucone platonicum, ciceronianũ Antonium in oratore, & dum eloquentiã damnat, acerrimum eloquẽtiæ assertorẽ Ioannẽ picum, sapienter imitari uoluisse. Seruata itaque serie respondemus. Primæ ratiocinationis uis erat, post alui deiectionem ob uirtutis qui sequebatur defectum, balneum fugiendum esse. Nos liquido monstrauimus non semper medicamine subduxisse aluũ oportere. ubi tamen præcedere debet (uti frequentius euenit) si ad artis sigillum paratũ fuerit, naturæ gaudiũ ac quies, tantum abest, ut imbecillitas casusque sequãtur. Et si quid eueniret imbecillitatis, non ideirco detestanda illico balnea sunt. maxima cum debilitas ea est quæ impedit ablutionem, ac multo magis uen-

tris solutionem. Præclara sententia Galeni est ad hoc spectans xi. curandi methodi hæc scribentis. Si uero nec concoctionis habet signa, nec uirtutem ualidam, seruari is plane non potest, quominus aut idem lauandus in balneo est, aut medicamentis ijs que rarefaciant ungendus aut uinum illi dandum, frigidaue offerenda. in quo enim omnino desperata salus est. imprudentis consilij fuerit, apud uulgū infamare præsidia que multis fuere saluti etc. Cūq; natura ad cutim pellit, nihil tam expedite succurrit ut balneum. nec illud perpetuo uerum, materiæ cruditatem / aut propriam debilitatem in causa esse quominus natura manum conserat. si enim hoc esset. nunq̄ transactis eius statis (ut sic dixerim) horis, ignauæ ac desidis, curanti medico supplendæ uices essent. contra commune illud iactatumq; dogma, si natura non mouerit moueto. sæpe enim non impetit aut quia non irritatur est, aut siderum non fauet aspectus / uel quia alijs intenta est, uel largiore dietetice impedita uti sepe uidimus, aliasq; ob cās. Satius, ut Plinius inquit, naturæ in hac uoluntatem quærere, q̄ rationem. Quod tertio loco īecras fun

Plinius libro. 36.
Tertiæ.

damentum, tale est, ut superstrui nihil possit, namque quod ptante frigidum est, dum febrilis coerceet caloris excessum, naturae amicissimum est, et si ingenitum sibi esset obstruere, quae in actu calet, dissecat ac aperit. Galenus. 6. de tuenda sanitate de frigida atque feruente loquitur, nos uero de mediocri ac temperata. illarum. n. altera innata ui, accidenter altera stringit densitque. eademque est et humiditatis ratio, quae dum siccitati, infesto calori annexe, repugnat, caliditate aduentitia atque accidentaria ipsius aque, putredinem augeri prohibente, salutaris admodum esse periculo deprehenditur. Nec sinit prudens ac sagax natura oblato contrariarum uirtutum remedio, morbum illud in suum commodum uertere. ipsa uelut mente predita distribuit, contraria contrarijs opponit. secus frustra simplicia componerentur, si temere unumquodque nulloque nature regimine operaretur. cuius uel hoc solo, admirabile ingenium atque curam uidere licet, quod incisa uena is primo sanguis exeat, qui ater quique crassior est, ad fluxumque ineptior. Nec temperatus calor mali quippiam perpetrat. Galenus eos non lauandos docet pue-

Quartae.

Quintae.

Naturae sagacitas

Sextae.

Septimae

trida febrientes, quorum aut turget corpus, aut notæ concoctionis non apparent.

Nocumenta quæ Hippocrates, Auicenna, & Galenus etiã ipse enumerant / omnia sequũtur ex intemperato balneo, absq; arte, temere adhibito. Quid est tam bonum quod temeritas & ignorantia non reddant pessimum! forma, diuitiæ, uires, facundia abutenti perniciosissimæ sunt. At mala existimanda non sunt (ut Fabius inquit) quibus bene uti licet.

Ex quo nocumenta sequãtur

Dignum memoria.

Balnea, uina, uenus corrũpunt corpora nostra,
atq; eadem faciunt balnea, uina, uenus.

Non tot formulas abluendi, non tot præcepta tradidissent / si quàm maxime utilia non putassent. In tertianæ nothæ cura non absolute prohibet Auicenna balneum, sed non concocta diminutaq; materia. argumento sunt uerba quæ subdit. ait enim, rationem reddens qua balneo interdicit. Nanq; balneum facit descendere flegma indigestum propter illud quod effunditur ad locum putredinis, & permiscet humorem malum cum putrido & resoluit subtile & facit remanere crassum. hæc ipse. Igitur si humor concoctus fuerit minutusq; absurda isthæc

Auicennam prima quarti, balnea non damnasse.

non sequentur, quando ex cruditate & multitudine cueniant omnia: Auicennæ consilium est, in notha serius lauandum esse, quam in legittima, cum eius materia peruicacior duriorq; sit. At uero quid respondeam Rasi eiusq; sectatoribus?

Contra Rasim, & eius sectatores.

clis nescio, Pudet dicere in hac arena euidentissime lapsum fuisse, secumq; barbarolatinos (sic enim ipsos isti Grammatici appellant) qui neglectis preceptoribus, fontibus, exemplaribus & archetypo, ad discipulos, ad tenues, ne sordidos ac lutulentos riuulos dixerim, ad deprauata exempla, sese contulerunt.) à Galeno quem imitatur & suspicit defecisse, tot rationibus sibiq; ipsi repugnasse. etenim in diuisionibus in quartanæ cura balneũ laudat, quod execratur in tertiana. doleo te respondere non posse, sed postq̃ dempta tibi facultas hæc est, respondeant sectatores tui quiq; in hac causa patrocinantur tibi. Si in quartana conuenit, qui morbus diutinus est, cuius materia tanto crassior ac tenacior alijs est, quanto tertianæ tenuior incompactiorq;, cur non in colerica febre? nullum quippe hic locum habent distinctiões, nulla tergiuersandi aut subterfugiendi uia. Vobis uero qui credere possum (petre ebane, nico-

Confutatio authoritatis neotericorum.

le alijq;) in hac causa, quos à Rase edoctos, balnea damnasse prius uideo, q̃ experiri uoluisse. uestra interrat barbaris dare leges, non accipere. Sed quid queso istud est quod legimus in uestris monimentis, differentes balnea esse salubria confirmatis; deinde pro uirili uitanda esse consulitis, eadem (ut inquit Seneca) epistola eundem & amicum & inimicum esse scribitis. Pugnant hæc, et simul uera ẽe non possunt. Nec ij sumus qui nomini ac dignitati uestræ derogare uelimus, uos plurimi semper fecimus, ingeniosos uiros, atq; pios existimauimus. Sed Hippocrati, Galeno, rationi deniq; atq; experientiæ adherere maluimus. utrunq; experti sumus, & pharmaca iterare, & post balneum lauare contra receptam a uobis Rasis sententiam; illud non ad uotum hoc felicissime cessit. uiderunt ista sæpe dilecti discipuli magnæq; spe. iuuenes, Leonardus pomus & Calistus siculi, ut multos alios missos faciam, qui eadem apud nos aluo subducta lauantes obseruarunt. Nec quotidianus hominum usus rerum mutat naturam, sed potius utentem (si malus est) refractarium reddit, malo compa

Secum pugnare neotericorum sententias.

Hominum usus res non immutare, sed utentes.

rato habita. Nam quia consuetum est odisse bo
nas literas, cuiuis uel docto ac probo detrahi,
nihil non damnari, modo alienum sit, ignauos
ac sycophantas sublimari, philosophos pro nihi
lo haberi prorsus, ατεχνως quatuor, & quinque
composita cathartica commisceri, gemmas tritas
et aurū ad uorandum præberi, & id genus sex
centa, idcirco laudabile est. etenim cū multa ma
la sint, una praua consuetudo omnia superat.
Quod uerò assumitis, humana corpora muta
ta esse, proindeque non conferre nunc, que tem
pore Galeni Alexipharmaca existimabātur.
primo ambigimus an corpora mutata sint, non
desunt qui putent robustiora esse quàm olim. sed
esto quod ab illo statu declinarint, nil quod nobis
repugnet sequitur. non. n. eæ rationes uariatæ

Eadem quæ erant axiomata nunc esse.

sunt, e quarum sinu curatiuam methodum col
ligimus. nonne hoc seculo ut illo bilis tenuis
est, a centro ad circulum mouetur, cutis poro
sa est. calens aqua reserat, liquat, dissecat. fri
giditas cum caliditate pugnat, & humidum
cum sicco. naturaque operatur ac si mente prædi
ta esset. præcipuum medici munus est iuuare
naturam, omnisque cura contrario absoluitur.

Dices corpora esse imbecilliora. At Galenus propter debiliora corpora balnea inuenta esse ait. Dices hodierna ingluuies maior est. corpora crassis lentisq; humoribus magis abundant. Nil contra nos qui concocta materia / aluoq; deiecto si tumuerit, lauandum præcipimus. Quanto plus mihi q̄ pharmacorum patronis consuetudo faueat / si repeterem pleonasmum commisisse me ualla clamaret. Damnū uero quod sequitur malo q̄ turpiter lucrari. nec me preterit q̄ belle conspirent / pedarium agant / & mulus mulum scabat. semel ab huiusmodi zoilis, thessalis, lamijs & momis bellum probis uiris indictum fuit. desinent oblatrare nunq̄, suo potius q̄ alieno impendio. purus ac integer offendi non potest. magnum teatrum conscientia est. non deserit iuppiter Homericus terris & undis agitatum ulissem. turpissimum est ob eas causas ab honesto declinare. Sed iam satis superq; nugatus sum, natiuum uitium non facile rationis imperio coercetur. etenim quemadmodum hesitare principio mihi genuinum est, nec arte aut industria diluere hoc possum, sic ubi nugari incepimus desine-

re nunq̃. receptui cano, velaq̃ complico rogãs ut (si libuerit) barbarum ac nebulonem appellectis, impium uero & iniquum me esse nullo pacto putetis. Dixi.

Quod natura inditum est non facile diluitur.

DIA. Iste sermo fuit ualde prolixus, ego partim pre longitudine, partim quia talis modus loquendi non est mihi consuetus nihil intellexi SOB. Nec ego, etsi intellexissem nequaq̃ facere ut ipse dixit. LVSE. pependi ab ore tuo attonitus. hic formosissimus annus, iam redeunt saturnia regna. reuiuiscet medicina, e barbarorũ faucibus eripietur, iã passim ubiq̃ bone litere florent, auctores optimi legũtur, est spe cu (nescio quo) uideo cotidie prodire undiq̃ nõ ineries optimorũ studiorũ. dij faxint ut laurũ aliq̃ nanciscatur, sub cuius umbra suauissimi cantus musarũ omniũ auscultari liceat. Equidem tũ uera tua mihi argumẽta uidentur, ut repugnãtes nõ coarguẽdi uerbis, sed flagris cędendos cẽseã. tergiuersari impiũ est, nõ pudet me uictũ fateri, doleo q̃ maxime serius esse superatũ. Quid. n. hoĩ accidere põt utilius ac gratius, q̃ ut detersa ignorantie caligine bñ operandi formula potiatur. ingentes gratias

Nil probis doctrina gratius.

ego,uel relaturus q̄n̄q; ſi potero, nec aliquis è tuo latere me diſcedere uidebit a͞plius. ANT. candidiſſimo (& ſi noua licet uti metaphora) aureo mihi ſign̄adus lapillo, aut ſmaragdo hic dies ē. Certo ſcio de me actū fuiſſe, ſi ad potior ē aliū deſcendiſſem. DEVS OPT. MAX. noſtri miſertus eſt. miſericordie ſue gratias ago quoquot poſſum (uobiſq; ē t probi ac peritiſſimi doctores) qui tm̄ pro mea ſalute laborē ſuſcipere uoluſtis. delectauit modeſtia / probitas, ac pietas omniū. ſenū catoniana grauitas / iuuenis diligentia, humanitas ac pleraq; alia què palato meo mirū in modum ſatisfaciunt. utrinq; acriter certatū eſt, lauari uolo. famuli parate labrū, audite medicū. lauabor & ſanus ſi DEO placet. artē ſcire aueo modumq;. balneum temperatū quibus cognoſcam. Frigide quis ſit uſus / ac naturaliū obſeruaui etiā Brancaleo te obiter & quaſi per trāſennā decō poſita catartica damnaſſe / auri & pretioſorū lapillorum pulueres. qui in uſu frequentiſſimo ſunt. digna quidem intellectu & nos audiendi deſiderio flagramus. BRA. alias de huiuſmodi rebus ſermo erit. ſatagamus nunc ſanitatis tue. de

inde, doctam neapolim (omnium bonarum artium & scientiarum alumnam) reuersus, ope librorum adiutus, otii mei rationem redam non oblitus trium amplissimorum Cardinalium Cornelij, Campegij, ac doctissimi Parisiensis.

ANT. *Quod tacite promittis expectabo. sed iam parata est mensa, œconomus dat signum. pulsatur tintinnabulum, mente satis laborastis, dandum est aliquid corpori, interim ut præcepistis lauabimur.*

DEO OPT. MAX. GRATIAS.

Impressum Romæ per Antonium Bladum de Asula. M.D.XXXV.

